UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

CAtalogus sancto//rum [et] gestor[um] eor[um]

Petrus <de Natalibus>

Lugduni, 1508

De s[an]cto Antherio papa [et] mar. Cap[itulum]. xxxvij.

urn:nbn:de:hbz:466:1-70797

Visual Library

ARgeus: marceſſus: atq; marcellin⁹ puer fratres: paſſi ſunt in ponto ciuitate tomis. Qui marcellin⁹ ſub licinio ꝑncipe: inter tyrones cōprehēſus: cū nollet militare: dicens ſe xpianū nulla ratione debere terreni ꝑncipis aſcribi militie ceſus ad mortē: ⁊ diu ī carcerē maceratus eſt. Et dū ſic detineret̃ in vinculis: ⁊ argeus ⁊ marceſſus fratres eius ipm viſitaſſent: ⁊ ipſi deprehenſi: ꝙ xpiani eſſent: cogūtur idolis īmolare: cū eſſent inter militares aſcripti. Sed nō conſentiētes a tribuno ſuo decollati ſunt. Marcellinus ꝟo in mari merſus martyriū conſumauit. qui paſſi ſunt. iiij. noñ. ianuarij. hec ado.

¶ De ſctō Antherio papa ⁊ mar. Cap̄. xxxvij.

AIntherius papa ⁊ martyr: natione grecus: ex patre romulo pōtiano pape ī epiſcopatu ſucceſſit: ⁊ ſedit annos iij. mēſem. i. dies. xxi. Hic cōſtituit: vt epiſcopi maxime vtilitatis vel neceſſitatis cauſa poſſint tranſferri de ſede in ſedem. Hicq; geſta martyruꝫ a notarijs diligēter exquiſiuit: ⁊ in eccleſijs recōdidit legendas. Et hic ſub maximino auguſto martyrio coronat̃. Sepultuſq; eſt cum collegis ſuis in cimiterio calixti: via apia. iij. noñ. ianuarij. Et ceſſauit epiſcopatus dies. viij.

¶ De ſancta Genoueſa ꝟgine. Cap̄. xxxviij.

GEnoueſa virgo pariſieñ. anno. vi. martiani imperatoris claruit: vt ait ſigibert⁹. Hāc puellulā dū in domo paterna ſanctus germanus pariſieñ. ep̄s: vadens ad ſynodū conſpexiſſet: prophetico ſpiritu prenūciauit eam maximā in ſanctitate futuram: eamq; tūc de pudicitia docēs ad ꝓpoſituꝫ virginitatis incitauit. ¶ Dum aūt die quadam ꝓhibente matre omnino ad eccleſiā ire vellet: ⁊ mater ipſam alapa ꝑcuſſiſſet: ſubito lumē oculorum amiſit. Quod puella videns: ⁊ matri condolens: ac ream ſe criminis remordens: aquam de puteo hauſtam inuocato chriſti noīe oculis genitricis infudit: ⁊ mater cōfeſtim recuꝑauit viſum. Duꝫ aūt in xpi virginē dedicata fuiſſet: ⁊ ieiunijs ac orōnibus vacaret: ex lōga carnis tabefactione leprā incurrit: quā pluribus ānis patienter pertulit: ſed demū a xpo mūdata eſt. Et dū ſancti dionyſij baſilica fabricaret̃: ⁊ calce deficiente operarij laborare nō poſſent: ⁊ ex hoc diebus multis vacare ab ope neceſſe eſſet: orātiōes virginis effuſa: camerā quā exiſtimabant: vacuam adierunt: ⁊ eam calce miraculoſe plenā inuenerūt: ⁊ ſic in edificio proceſſerunt. ¶ Sed ⁊ ſitientibus operarijs virgo cuppam vini porrexit: de quo refectis oībus: vſq; ad cōpletam eccleſiā nō defecit. Multos ab immūdoꝝ ſpirituū oppreſſione liberauit: ⁊ alijs inſignib⁹ miraculis renitēs: in pace q̃euit. iij. noñ. ianuarij apud ſanctū dionyſiū ſepulta.

¶ De ſctō petro Aulano martyre. Cap̄. xxxix.

PEtrus martyr paſſus eſt in ciuitate aulana tēpore diocletiani ⁊ maximiani imperatorum: qui alio nomine balſam⁹ vocatus eſt. Hic a preſide ſeuero tētus: duꝫ ſe chriſticolā confeſſus eſt crucis ſupplicio affixus: interēptus ē: vere petri apoſtoli effectus heres nominis ac imitator paſſionis. Cuius paſſioneꝫ tranſtulit anaſtaſius apoſtolice ſedis bibliothecarius: vt ſcribit frater Uincētius: qui paſſus eſt. iij. noñ. ianuarij.

¶ De ſancto Daniele martyre. Cap̄. xl.

DAniel leuita ⁊ martyr padue quieſcit corpore in eccleſia cathedrali. Quod quideꝫ hoc modo repertuꝫ eſt. ¶ Anno cū dñi. cccccccLxvij. hic ſanct⁹ apparuit cuidam ceco in tuſcia exiſtēti monēs: vt ſi illuminari vellet ad corp⁹ ſuū viſitandum paduam accederet: ſeq; danielem martyrē nominauit. Qui paduam veniens ⁊ nihil de ſancto inuenire valēs: eo ꝙ ciuitas a lōgobardis nuꝑ diebus illis euerſa fuerat: ⁊ dirutis eccleſijs legēde ſanctoꝝ diſperſe: ſe deluſum putauit. Et duꝫ in eccleſia ſancte iuſtine oraret: eidē ceco ſanct⁹ daniel denuo apparuit ⁊ ipm illuminauit: ac locum ſepulture demonſtrauit. Illeq; cōtinuo epiſcopo iohāni ⁊ abbati ſancte iuſtine: tam miraculū ꝙ viſa nūciauit. Qui congregato clero ⁊ populo: locū effodientes: corpus martyris inuenerūt: iacens ſuꝑ ligneam tabulā ad inſtar ſue longitudinis ſupinum ⁊ extenſum: habens ſuper ſe aliā marmoream tabulam eiuſdē lōgitudinis cuꝫ inferiori confixam clauis: videlꝫ ferreis enormibus: caput martyris: pectus ⁊ ventrē: ac omnia trāſfodientibus mēbra: ⁊ binas tabulas colligētib⁹: que oīa qualiter a gētilibus paſſus fuerat: euidentius oſtenderūt. Sanguis ꝟo a corꝑe diffuſus ita recēs in tabulis apparebat: ac ſi tūc ex vulneribus ſtillaret. Et ex parte exteriori ſculptus titulus legebat̃. Hic requieſcit corp⁹ ſancti danielis martyris ⁊ leuite. Quo aūt tēpore vel qua die ſeu ſub quo paſſus fuerit iudice aliter ignorat̃. ¶ Leuātes igit̃ inde corpus ad eccleſiam maiorē dei genitricis tranſtulerunt: et ibidē honorifice condiderūt: vbi ⁊ quieſcit miraculis fulgēs. Et quia paſſionis eius feſtum ignotum eſt: feſtum ipſius martyris agitur padue die qua corpus eius inuentum eſt: videlicꝫ iiij. noñ. ianuarij.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN